

Doc. 21

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Doc. 21

[1259?]

Manfredus etc. magistro N. decretorum doctori.

2

Inter alia decoris insignia, quibus regni nostri possessio preclara tripudiat, desideramus ibidem liberalium artium erudimenta con crescere et litteralis scientie munimenta florere, ut, sicut regnum ipsum pacis et iustitie complexione nunc fruitur et rerum opulentia naturaliter gloriatur, sic eiusdem incolas, quos ingeniorum nativa fecunditas ad consilia reddit alta conspicuos, per doctrinale commercium articulus vive vocis efficiat utili transfusione peritos. Ad quod laudabiliter peragendum, scholis ubique per regnum particularibus interdictis, universale studium in civitate Neapolitana, consulta deliberatione prehabita, providimus reformandum.

De tua igitur fide et sufficientia laudabili testimonio perhibito coram nobis, te ad huius operis participium invitamus, fidelitati tue precipiendo mandantes, quatenus ad civitatem ipsam docturus in scientia decretorum et nobis exinde placiturus personaliter studeas te conferre, de munificentie nostre liberalitate securus, quod preter fructum favoris et gratie, quem a nobis propterea specialiter consequeris, consuetudines omnes et bonos usus, quibus umquam temporibus felicis memorie domini genitoris nostri doctores et scholares in studio ipso morantes uti et gaudere sunt soliti, faciemus tibi et aliis moraturis ibidem inviolabiliter observari.

3

Forse si tratta di Guglielmo Nasone: cfr. R. Trifone, *Un 'doctor decretorum' cit.*, pp. 6-7.

Cfr. il doc. 13.